8.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
CONTINENS QUAEDAM
DE

CARCINOMATE VENTRICULI
ADJECTO CASU EJUS MORBI

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO ALEXANDRO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIV M. JUNII A. MDCCCLXII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MAXIMILIANUS HOEPFNER
APOLDANUS.

APOLDAE
TYPIS C. M. TEUBNERI.

Praefatio.

L. B. S.

Legibus academicis satisfacturus, dissertatiunculam hancce elaboravi. Diu quidem, quid potissimum eligerem, dubius haesi, donec opportune factum est, ut de initio atque exitu carcinomatis ventriculi in nosocomio Magniducali Jenensi observationem satis accuratam atque diligentem instituere possem. Qua scribendi occasione oblata suscepi laborem et pro viribus rem exponere studui. — Totum autem argumentum ita distribui, ut primum de carcinomate breviter in universum agerem, deinde aegroti nostri historiam adjicerem.

Ceterum Te, L. B., enixe rogatum voluerim, ut breve temporis spatium, quod libello impendere mihi licuit, respicias neve obliviscaris, opus esse in medicina tironis. Vale.



Sectio I.

Universalis quaedam carcinomatis adumbratio.

Ex intestinis visceribus ventriculus imprimis carcinomate afficitur. Ac morbus quidem ipse primarius maxime appellandus est et hereditarius. Saepius autem carcinoma invenitur in viris quam in mulieribus atque potissimum intra quadragesimum et sexagesimum aetatis annum hominum omnis ordinis.

Carcinoma, quod fere in pyloro, rarissime in fundo et curvatura ventriculi magna reperitur, ita patet, ut in transversum crescat. Hac vero ratione exsistunt stricturae carcinomati similes, quae in pyloro acutis finibus circumscriptae sunt, in cardia imminent in oesophagum.

Saepissime hic invenitur scirrhus, rarius fungus medullaris, rarissime cancer alveolaris. Scirrhus quidem cum fungo medullari saepe conjunctus est. Scirrhus in tela submucosa ita orditur, ut noduli sive densationis diffusae similitudinem habeat et massam pallidam, quae est duritie cartilaginosa, formet. Membrana pituitaria, simulatque est mollita, tanquam puls

nigra abstruditur Muscularis et Serosa, quae sub ea jacet, sunt densatae. Et posterior quidem turbata est. Membrana pituitaria abjecta cancer emollitur et ulcus exsistit, quod formam non constantem et margines duros et callosos habet

Fungus medullaris, qui est natura molliori et specie cerebro simili, celerius expanditur sub forma excrescentium mollium, fungosorum, quae facile sanguinem effundunt Excrescentibus autem abstrusis ulcus specie crateris, marginibus vallo simillimis circumdatum restat.

Cancer alveolaris, qui sub forma degenerationis diffusae exsistit, omnes ventriculi membranas brevi temporis spatio interjecto delet

Saepe cancer ad regiones finitimas transit. Cancer alveolaris saepe degeneratione peritonaei diffusa ascitam adducit. Cancro emollito ventriculi contenta in cavum peritonaei transeunt et peritonitidem letalem afferunt. In strictura pylori ventriculus amplificatur, in cardiae strictura sive in magna tunicarum ventriculi degeneratione ventriculus contrahitur

Dum aegrotus vivit, de morbo certi aliquid statui saepe non potest. Aegrotus non queritur, nullis afficitur doloribus epigastrio presso, appetitu caret, evomere non cogitur, tumor non sentitur. Alias morbus ita tantum cognosci potest, ut id, quod de eo statuatur, a vero haud procul absit. Aegroti appetitu plane carent, sensum quendam pressus atque plenitudinis in regione epigastrica et ructum habent et cetera catarrhi ventriculi chronici indicia, quocum

conjuncta est languitudo, color faciei luteus, oedema exiguum in malleolis.

Plerumque indicia carcinomatis ventriculi manifestiora sunt. Ad dyspepsiam et marasmum accedunt dolores in ventriculi regione, qui pressu et post coenam augentur. Vomitus, quod symptoma non rarius observatur, interdum exsistit in carcinomatibus curvaturae parvae, in cardiae et pylori carcinomatibus post omnem coenam, et in strictura quidem cardiae statim post coenam, pylori serius. Interdum cancro mollito strictura amplificatur et vomitus intermittitur paulatim, donec postremo desinit. Alias ventriculus propter tunicas valde extentas contrahi nequit. Massae evomitae sunt partim cibi, qui in cardiae carcinomate minus sunt mutati, in pylori carcinomate saepe cognosci vix possunt, partim pituita et liquores versicolores, acidi et amari gustatu. Praeter ea, quae in hoc morbo apparere jam diximus, exsistit ructus acidi, amari. Quae omnia eo efficiuntur, quod tantum abest, ut succus ventriculi substantiam proteinalem, quae dicitur, solvere ea, qua plerumque fit, ratione possit, ut haec substantia voluntariam ineat sejunctionem et odorem putidum emittat.

Saepe in evomitis sarcina ventriculi, raro fragmenta carcinomatis inveniuntur. Excrescentibus sanguine plenis collapsis ex vasis capillaribus sanguis effunditur. Sanguis contentis ventriculi acidis in massam nigram, micis simillimam, commutatur. Hae massae, quae residuo cafeae coctae consimiles sunt, indicia carcinomatis ventriculi sunt certissima. Rarius

profusus sanguinis uberiores observantur, qui in ulcere rotundo plerumque apparent. Symptoma insignissimum atque manifestissimum, quod saepe deesse dolemus, est tumor, qui in regione epigastrica sentitur. Tumor, qui vel pugni vel ovi columbini magnitudine est interdumque prominentiam haud mediocrem in alvo format, saepissime prope umbilicum, plerumque supra eum, saepius in dextram quam in sinistram versus conspicitur. Superficies plerumque est tuberosa. Alias tumor, quo tacto aegrotus vel dolore afficitur vel caret, moveri potest, alias non potest, ubi cum partibus finitimis coaluit. In stricturis pylori percussionis opera ventriculi amplificatio demonstrari potest; in ventriculi coarctatione costae inferiores prominent et alvus ita collabitur, ut columna vertebralis et aortae pulsatio sentiri queat.

Morbus eum habet successum, ut omnia symptomata in dies luculentiora fiant. Rariores sunt remissiones, quae non ita diu durant. Nam paulo post exacerbationes novae oriuntur. Fungus medullaris durat plures menses, scirrhus et cancer alveolaris aliquot sive complures annos. Unicus carcinomatis ventriculi exitus est mors, quae marasmo aut perforatione sub peritonitidis specie aut profusibus sanguinis uberrimis aut complicationibus et aegrotationibus secundariis evenit. Tum, cum mors marasmum sequitur agonia diuturna, in qua tempore lingua rubra et sicca et aphthis suffusa apparet, nec non oedema extremitatis inferioris dolorosum observatur. Recte igitur se habet illud Boerhavii, viri praeclarissimi atque

illustrissimi: „Tandem post Tantali poenas diu toleratas aegroti lento marasmo contabescunt."

Quod denique attinet ad therapiam, huic morbo, de quo diximus, sanationem afferri posse negaverim. Therapia enim id tantum spectat, ut vires aegroti, quantum possit, conserventur et digestio rationem ac viam communem consequatur.

Sectio II.

Historia morbi.

Carolus Schroepfer, caementarius, Dornburgensis, duodequinquaginta annos natus, per omne fere tempus valuit, excepto anno aetatis tricesimo altero sive tertio, quo anno per quatuor hebdomades aegrotavit. Quo morbo laboraverit, reperiri non jam potest. Semper viguit neque antea stomacho laboravit. Abhinc biennio aegrotus ingestione facta vomere cogitur, quod quidem primo cibis solidis, deinde etiam liquidis ingestis fiebat. Ac vomitio quidem statim post cibum ingestum fieri solebat; nec tamen sanguis evomebatur, sed cibi tantum ingesti Aegrotus autem, ubi cibos omnis generis gustavit, compressionem quandam sensit in praecordiis quasi cibi haererent. Appetitus est bonus, alvi exinanitio retardata, interdum apparet acidus et ructus et gustus. Ab initio opificio suo praefuit usque ad quatuor hebdomades proximas. Abhinc uno anno sensim et pedetentim macruit atque tabuit Nulla tussis, nulla exscreatio. Somnum capere potest Abhinc octodecim menses pedes ejus sudare desierunt atque nunc semper frigent.

St. pr. Aegrotus est statura admodum magna, nutritu vilissimo, musculis tenuissimis Facies est contracta, color pallidus, lingua pituita suffusa, columna vertebralis in vertebris valde adunca, thorax longior, non ita latus et altus. A dextra parte sub clavicula sonus altior quam a sinistra. Membrana acidissima multisque squamis obducta. 9, XII. 61.

Hepàtis oppressio incipit a septima costa, et paululo excedit thoracis marginem. Pulsus cordis in spatio intercostali tenuis; cordis restinctio incipit a quartae costae inferiori parte et patet a sinistro margine sterni tantummodo $1\frac{1}{2}''$ ad sinistram.

Post a dextra super spina scapulae sonus brevior et altior quam a sinistra; ceterum ubique clarus et plenus. *Ausc :* respiratio ubique vesicularis, sed maxime exigua. Post a dextra exspirium interdum bronchiale

In parte supraclavic glandularum tumor. Alvus ad-alvei speciem contracta, imprimis praecordia concava, summa pars musculi recti abdominis magis resistens, atque convexa, compressione adhibita lenem commovens dolorem, sed tumor non circumscriptus animadverti poterat.

Interiori musculi recti dextri parte pulsatio aortae continuata sentitur. Hepar pertinet usque ad laevum hypochondrium.

Alvus ubique clare et plene sonat. Tum, cum aegrotus bibit, audimus super stomachum liquores multo postquam absorpti sunt, in stomachum pervenientes. Interdum sponte in praecordiis stridens

strepitus exsistit Cum vomitio fit, tum liquores statim postquam ingesti sunt, evomuntur atque ii quidem integri, velut lac non est gelatum. Gulae spicillo adhibito, quod sine impedimento et dolore fieri potest, simulac jam penitus penetravimus ad interiores regiones, impedimento prope ad cardiam occurrimus.

Diagnosis. Ex his, quae sunt exposita, aegrotum ex carcinomate cardiae et oesophagi laborare sequitur. Neque minus apparet carcinomate coarctationem cardiae et amplificationem oesophagi secundariam supra locum coarctatum esse factam.

13, XII. Abhinc die 11. XII. omnia, quae ingessit, in se retinuit atque heri matutino tempore cacavit. Somnus bonus. Dolores leves. Vehementer laborat ex parte symphyseos superiori. Urinam reddere sine ulla molestia potest.

14, XII. Quaecunque edit, ea hodie evomuit. Nondum facta est dejectio alvi. Nulli dolores.

17, XII. Nudias tertius et heri id, quod edit, evomuit. Mane, priusquam collapsus insignis exsisteret, spicillo exploratus est. Heri hodieque cacavit Hodie mane lac quoque evomuit. Inde omnia (infusum e foliis chamomillae paratum, cerevisiam coctam, vinum) apud se tenuit. Cum sine nausea evomere soleret, tamen heri semper male se habuit et capite quidem ita laboravit, ut et vertiginis et animi deliquii haberet. Heri vesperi parumper palmo laboravit, quod nunc non jam fit.

A die IX. usque ad diem XII. nocte vehementissimis in ventriculi regione doloribus commotus per

breve tantum tempus somnum vidit. Pulsus valde exiguus, spiritu altius ducto intermittit. Aegrotus ex die hesterno valde est collapsus. Spatia potissimum intercostalia contracta. Pulsus cordis tenuissimus in quinto spatio intercostali. Cordis restinctio incipit a quinta costa atque patet a sternali parte sinistra circiter 2″ in dextram versus. In cordis cacumine, super ventriculum dextrum, supra arteriam pulmonalem (hoc tamen loco non tam clare auditur) strepitus fricans, paene stridens auribus percipitur inter systolen. Pulmonum finis respiratione altiori neque in inferiorem partem neque in dextram (in cordis regione) amplius progreditur.

Alvus ad alvei formam maxime contractas. Columna vertebralis persentitur. Promontorium, quod non minus persentitur, pressum dolet. Dextra ab hoc sentiri potest lymphatica glandula, quae est fabae magnitudine quaeque gravem efficit dolorem. Undecima costa laeva in colli costalis regione ita exaggerata est, ut aegrotum admodum doleat. Sinistra post ab inferiori parte mediocres strepitus stridentes. Observatione physicali instituta patet ad morbum, quem jam tractavimus, pericarditidem accessisse.

Aegrotus ex vespero hesterno nondum vomuit. 18, XII
Nausea recessit. Valetudo bona fere appellanda est. Dimidiam noctis partem dormivit; deinde doloribus affectus est super symphysin, quae pressa dolet. Minus quam heri collapsus est. Pulsus plenior neque in omni inspiratione altiori, sed interdum tantummodo intermittit. Strepîtus pericardialis, qui adhuc plane

auditur, modo in systolen modo in diastolen modo inter utramque cadit.

19, XII. Nocte bene dormivit. Omnes cibos apud se tenuit. Valetudo bona. Non jam collapsus est. Pulsus plenior, nec jam intermittit in inspiratione altiori, tamen fit enormior. Strepitus pericardialis clare auditur. Epigastrium minus dolet. Symphysis adhuc dolet.

20, XII. Nocte bene quievit. Aegrotus sibi quidem bene valere videtur. At capite adhuc laborat atque statim ab initio semper dextra capitis pars doluit. Pupilla dextra amplior est sinistra. Lingua summa aliquantulo ad dextram declinat. Strepitus pericardialis clare nec non post dextra a columna vertebrarum auditur

24, XII. Hodie tempore pomeridiano semel vomuit; ceterum bene valet. Abhinc die hesterno cordis regio dolet. Quod ad cor attinet, eaedem, quae antea, obtinent rationes.

26, XII. Hodie semel vomuit; ceteroquin omnem cibum apud se retinuit. Heri alvum dejecit. Dextrum faciei dimidium ad oedematis modum tumuit. Dextra capitis pars dolet. Dextra pupilla aliquanto amplior laeva. Conjunctiva dextri oculi facile injecta. dexter oris angulus altius stat. Lingua summa ad dextram deflectit. Et audit et videt bene.

27, XII. Oedema dextri faciei dimidii minus; pupillae aeque amplae. Conjunctiva non jam injecta. Lingua constanter ad dextram exseritur. Pulsus tenuior quam ante. Strepitus pericardialis et magnitudine et claritate variat, ut ad hoc tempus.

Quamquam usque ad hoc tempus non jam vomuit, tamen hodie mane omnia fere, quae ingessit, evomuit. Hodie autem pleraque apud se retinuit et nocte praeterita bene dormivit. 31, XII.

Alvus plerumque bona. Nondum vomuit. Alvi dejectio ordinata. Pulsus semper tenuis, in altis inspirationibus non jam intermittit. Strepitus pericardialis semper clarus; interdum cordis regio dolet. Cordis restinctio non augetur. Dextrum faciei dimidium saepius ad oedematis modum tumuit; dextra pupilla interdum amplior sinistra. Abhinc nonnullis diebus ex dextra capitis parte non jam laborat. 8, I. 62.

Nonnunquam cibi evomuntur, sed hoc fit praetereunter. Rursus dextra capitis pars dolet, dextra pupilla amplior. 11, I.

Dextrum faciei dimidium oedematicum Dexter bulbus prominentior sinistro. Dextra palpebrae fissura amplius patet quam sinistra. Lingua proprie cana, multa pituita obducta. Strepitus pericardialis ex nonnullis diebus inter systolen fere auditur. 16, I.

Dextrum faciei dimidium minus quidem, attamen semper oedematicum; dextra pupilla amplior. In corde summo sentitur stridor systolicus. Strepitus plerumque inter systolen, interdum etiam inter sonos cadens. 22, I.

A die in diem cibi ructantur, plerumque per tres sive quatuor dies id non fit. Nonnunquam cordis regio dolet.

Status, si ipsum aegrotum spectamus, mutatus non est. Quarto sive quinto quoque die cibi ingesti evo- 10, II.

muntur, deinde complures dies retinentur. Alvi dejectio retardata. Somnus bonus.

Facies semper habet aliquid oedematici. Inter systolen strepitus flans auditur, praeter hunc etiam strepitus pericardialis.

Alvus est impleta, mediocriter concava, mollis. Urina subflava neque in se continet albumen.

18, II. Abhinc die hesterno omnes cibi gustati rursus evomiti sunt. In hoc rerum statu aegrotus valde est collapsus, facies labens, nasus pallidus magis prominet, vultus est languidus.

Pulsus tenuissimus nec tamen intermittens simul cum inspiratione.

A dextra post in parte inferiori restinctio; ibi respiratio non auditur; vocis vibrationes adaugentur.

20, II. Aegrotus, qui usque ad diem hodiernum mane omnes cibos ingestos evomuit, magis magisque languescebat atque extabescebat, collapsus planius apparebat, pulsus frequentior fiebat nec minus respiratio et conscientia paulatim labente tempore matutino inter septimam et octavam horam aegrotus morte absumptus est.

Therapia per omne fere tempus: Aether sulfuric. et vinum tocayense.

Sectio die XXI. Februarii hora meridiana instituta.

Cadaver macerrimum, cujus alvus ita est collapsa, ut et ossa ilium et hypochondria vehementer promineant.

Calva tenuissima nonnullis locis juxta lineam me-

diam habet strias quasdam per granulationes Pacchioni effectas. Dura mater in aliquot locorum parte exteriori turbata, secundum sinum valde injecta. Pars hemisphaerii dextri prior magis prorumpit estque amplior quam pars sinistri hemisphaerii Membranae cerebri molles, in lobiorum profundo lactis specie atque colore turbatae. Cerebro exemto multum liquoris serosi effunditur.

Etiam in basi molles cerebri membranae facile oedematicae et exsangues. Cerebri materia ubique sanguine impleta et oedematica nec minus cerebelli atque pontis. Sinus exsangues.

Pectoris musculi pallidi et atrophici, tela cellulosa membranae inferioris omnino fere evanuit. Margo pulmonis sinistri in exsectione lunata coaluit cum pericardio, quod conspissatum compluribusque locis turbatum est.

Pleura sinistra ad inferiorem pulmonis ambitum aliquot adhaesionibus fixa; in pleura nonnullae liquoris unciae; etiam a dextra parte et priore et superiore et posteriore insignes quaedam adhaesiones, quae funium formam habent; hic i. e. in pleura haud multum liquoris serosi invenitur.

In pericardio circa unciam liquoris clariore aspectu quam in pleura. Cor ipsum maxime atrophicum, pugni aegroti magnitudinem vix aequans, in priore superficie in fine inter ventriculum dextrum et sinistrum ornatum nervi macula spissa, sinuosa, quae est semioboli magnitudine, cui similis respondet in parte parietali.

In initio venae cavae adscendentis intra pericardium aliquot insertiones in pericardii cellam subalbae, asperae, porro in vasis complures turbationes atque recentes coalitus.

In dextra cordis auricula conspiciuntur partim noduli subalbi partim sarcomata vasis plena. In pulmone sinistro apparent coalescentiae utriusque lobi et juxta exsectionem in superiore lobo turbatio striata. In lobo inferiori oedema uber, bronchitis mediocris et in parte infima eaque postrema densatio languida cellae, quae hic paululum aëris continet et pressa liquorem canum, turbidum effundit In pulmonis cacumine singuli nodi cellulae cano colore pigmentati, circum quos jacent bronchi amplificati.

In dextri pulmonis cacumine apparent similes nodi (haec est simul sedes pleurae adhaesionum) majorem in modum. Una ex cavernis (hae sunt amplificationes bronchorum) magnitudinem siliquae excedit. Posterior pars lobi inferioris oedematica, gravissima, in marginibus suis aëre vacua.

Cor. Dexter ventriculus angustus; valvula tricuspidalis multis locis flava et quasi gelatina conspissata. Ventriculus laevus significat materiam musculorum uberiorem, ceterum satis bene contractus. Etiam valvula mitralis multis locis spissata, praesertim in marginibus. Tendines ejus multifariam spissatae et coalitae. Uno loco apparet suggestio recens vasis plena; prope valvulae marginem patet limbus ruber, qui idem densatus et plane solidus est. Musculi laevi ventriculi mirum in modum fusci, sicci et per-

densi, dextri ventriculi musculi pallidiores. Valvulae arteriae pulmonalis, praeterquam quod supra valvulae vestigium perforatae sunt, sanae. Aortae valvulae sanae; in aorta adscendente atheroma non invenitur.

Oesophagus prope eum locum, ubi diaphragma pervadit, mediocrem amplificationem, deinde coarctationem, tum rursus amplificationem non ita magnam ostendit.

Hepar latum, tenue, mediocri magnitudine, congrua junctura, rubidum, sanguine satis impletum. Nusquam insertionum vestigium. Suprema lienis pars cardiae accrevit; lien ipse mediocri magnitudine, perdensus, in cellula exsanguis, intra quam nonnullis locis folliculi Malpigh. cum omnino non conspiciuntur, tum aliis locis quasi lata puncta apparent; quod fit prope adhaesiones.

Ventriculus omnino fere in sinistro alvi dimidio situs, ita ut oesophagus, simulac diaphragma pervasit, ad sinistram se vertat partem, unde ventriculus magna cum curvatione extra, cum parva curvatura ad columnam vertebralem versus, arcum describit usque ad pylorum in summo undecimae costae cacumine situm juxta columnam vertebralem. Ventriculus usque ad coli ambitum diminutus, in media parte secundum circuli formam obiter infibulatus. Cum posteriore sacci caeci ambitu in unum coaluit ren sinister, peritonaeum in rugas contractum est eoque modo ventriculo propinquum. In ventriculo mediocris copia liquoris, qui est succolatae colore. Tota ventriculi tunica nigruit. Infima pars membranarum oesophagi

atque membrana muscularis quidem nec non tela submucosa valde spissata, maxime autem in ipsa cardia, ubi laterum diametros 2 — 3''' explet A cardia pertinet praeter curvationem parvam in ventriculi cavum fungus medullaris, villosus, ovi columbini magnitudine, panniculis flavis necroticis consitus Ostium oesophageum plane clausum est illo fungo, quippe qui infra cardiae luminis, quod est pennae caulis crassitudine, jaceat. Altera coarctatio invenitur in pyloro, qui idem pennae caulem tantum transmittit cujusque membranae pariter atque in ima oesophagi parte plures lineas spissae sunt. Cujus in ambitu sinistro perspicuum est diverticulum, quod cacumen pollicis capit. Cum pyloro pancreatis caput coaluit et scirrhi specie degeneravit.

Ren sinister non ipse, sed per capsulam cum nodo carcinomatis cohaeret. Est autem ren sinister turbidissimus et sanguine uberrimus, praesertim in corticali et in partibus pyramidum periphericis, ceterum mediocri magnitudine. Eadem ratio obtinet in rene dextro, qui haud tantum sanguinis habet, quantum ren sinister.

Glandulae mesenteriales paullo amplificatae. In superiore parte sinistra primae vertebrae lumbaris exostosis acuta prominet.

Membrana vesicae urinariae mucosa crassior est et tendines eminentissimas ostendit. Post prostatam, cum intestini recti aditus plane liber sit, invenitur tumor omnium membranarum durus, complures lineas crassus, praesertim muscularis et mucosae cum in-

sertionibus nodorum, qui carcinomatis forma sunt. Paulo superius intestinum rectum sanum.

Colon multo aëre et passim magna feculae copia impletum, initio tamen flexurae sigmoideae vacuum et vel hic jam membranae derivatae et muscularis potissimum. Feculae massae in colo canae, colore immutato, tamen non ita siccae In colo transverso duo diverticula nucis magnitudine. Paulo superius apparent in colo rursus massae feculae coloratae et in sacco caeco jam colore fusco infectae sunt.

In intestino tenui massae feculae liquidae, colore fusco-viridi infectae. Membrana coli pituitaria variis locis prope valvulam diffusa et hyperaemosa et uno loco aspectum glandulosum et hyperaemosum praebet. Infra eam jacet nodus scirrhosus, cartilaginis duritia, partim e membranis intestinalibus, partim ex mesenterio adjacenti formatus, in quem omnes membranae intestinales injunctae sunt. Costae sunt fragilissimae.



Theses defendendae.

I.

Si locus nec non vires aegroti concedunt, fungus medullaris semper cultro penitus est removendus.

II.

Scirrhus et cancer feminas tum maxime invadunt, quum sexus functiones desinunt.

III.

Virginitatis signa haud raro fallunt.

IV.

Senibus post prandium quies optime conducit.

V.

In reunione rupturae perinaei sutura nodosa est praeferenda.

